

In nomine sancte et individue Trinitatis. Cogitantes, quod ea, que in tempore geruntur, cum tempore labuntur, nisi scriptis et testimoniis adjuventur, inde est, quod in memoriis hominum consistere volentes, qualiter ecclesia in Ulrideshusen primitus fundata sit, dignum duximus declarandum. Tradunt igitur annales, quod tres presbiteri Albertus, Bernhardus et Henricus, de Roma venientes et in Ulrideshusen pernoctantes, mane facto cum iter agere destinassent ad dyocesim Magdeburgensem, unde erant oriundi, Henricus presbyter interrogatus, an vellet cum ipsis in patriam reverti, respondit, se tanta detentum infirmitate, quod nequaquam cum ipsis ultra laborare proponeret, set, quod eidem reliquias sancti Nycolai cum aliis reliquiis quibusdam pro porcione sua conferrent, diligenter exorabat. Quas cum impetrasset et ab indigenis obtenta sepultura in summitate montis, eidem indigene curatoriam prestiterunt caucionem, ut in honore sancti Nycolai basilicam construerent. Qui cum proprietatem montis a Johanne Swanringe impetrassent et basilicam in pede montis fundare cepissent, mirabili quadam virtute impediti ymmo potius promoti, structura in pede montis cepta, tribus noctibus continuis visi sunt cervi candidissimi id, quod ex structura fuerat, ad summitatem montis deportare ¹⁾, ubi usque ad hodiernum diem basilica fundata apparet.

Procedente tempore apparuit sanctus Nycolaus venerabili in Christo patri Bardoni ²⁾ archiepiscopo sedis Moguntine, pia allocucione ipsum pulsans et monens, ut ad Laynam accederet, basilicam in honore sancti Nycolai constructam consecraturus, presaga quoque voce ipsum sollicitus, ut omnem suam diligenciam impenderet, quia nullam de cetero ecclesiam consecraturus esset. Venerabilis autem pater Bardo ad castrum Rusteberch acce-

¹⁾ MS. deportate.

²⁾ Bardo von Oppershofen, Erzbischof zu Mainz von 1031 — 1051.